

- 3 Dominium rei dotalis non transit in maritum nisi per traditionem, sicut est regulare in alijs.
- 4 Dominium non transfertur in vniuersali constitutione dotis ante traditionem.
- 5 Dominium in vniuersalibus non transfertur sine traditione.
- 6 Casus specialissimus, in quo mulier sine possessione transfert dominium praedium assignati in dotem, remissive.

Dvo sunt à me quaesita in lite & causa cuiusdam amici. Quidam vendidit certas oves alteri, qui tunc temporis habebat plures creditores, quibus bona sua generaliter obligauerat, vt vero venditor hic prouidit sibi hypotheca speciali harum ouium cum pacto de non alienando, quousque sibi solueretur pretium ipsarum, dubium est: An venditor ouium, qui habet praedictam specialem hypothecam cum pacto, quod non possint alienari, quousque sibi soluat pretium, & quod alienatio alias facta sit nullius momenti, praefertur prioribus creditoribus huius emptoris, habentibus priorem generalem omnium bonorum debitoris hypothecam? Secundum dubium est: Vtrum sponsus sine maritus sit dominus dotis sibi promissa à tempore promissionis & desponsationis per verba de presenti, an vero à die traditae dotis?

Ad primum & dubium dico, quod posterior creditor, qui vendidit oves suas debitori cum pacto expresso, quod illae essent sibi obligatae pro pretio, praefertur in illis prioribus creditoribus, quibus generaliter idem debitor bona sua obligauerat. Pro hac opinione est tex. expressus in *l. licet, Cod. qui pot. in pign. hab.* vbi probatur, quod etiam si regulariter generalis hypotheca prior praefertur speciali posteriori, vt est text. in *l. si generaliter, Cod. de eodem titulo*, illud tamen fallit & non habet locum, quando specialis hypotheca posterior esset facta super re empti ex pecunijs meis. Idem probat lex *36. titulo 13. part. 4.* quod nulla alia ratione sustineri potest, nisi quia ex meis pecunijs ortum habuit: Vnde à fortiori in nostro casu praefertur posteriori constat, quando vendidi rem meam cum pacto, vt illa mihi teneretur, quousque pretium solueretur, cum magis immediate meum persequi dicar, quam quando ex mea pecunia emptam, & specialiter mihi obligatum peto. Et in expulso in nostro casu, quod hic secundus creditor, qui rem suam vendidit hoc pacto, praefertur ceteris creditoribus, tenet Franciscus Curtius in *addit. ad Alexand. in l. si cum dotem, §. fin. nu. 5. d. l. i. B. ff. solut. matrim.* quem non referens eandem opinionem sequitur Antonius de Fano in *tractatu de pignor. 4. parte princip. nu. 33.* & iterum in *2. membro 5. partis princip. nu. 18.* vbi alios allegat, tenet idem Bald. Nouellus de *dot. in 10. parte in princip. nu. 1.* & Bembenutus in *tractatu mercatorum, §. de decoloribus, in titulo qui prior in bonis decolor. hab. in ultima parte, nu. 5.* vbi refert Curt. & Nebulant. [hoc est Anton. de Fano] vbi supra. Sed Nebulantium corrupte, nam refert eum in *nu. 19.* & est in *num. 18.* idem allegat Iaf. in *l. qui Roma, §. Callimachus, numer. 5. de verb. oblig.* qui mouentur ex *d. l. licet*, reputantes; ibi esse text. expressum, & non immerito, quia contradictionem non habet, & ita dictum & affirmatum fuit mihi postquam haec allegaui, pronuntiatum & obtentum fuisse in causa ardua plus quam mille & quingentorum aureorum secundum hanc meam informationem juris, & adjudicatas fuisse dicto posteriori creditori praed. oves suas aduersus petitionem plurium aliorum creditorum priorum ejusdem debitoris.

Verum & aliud & magis singulare voluit Alberic. in *l. obligatione generali, ff. de pign.* scilicet, quod praedicta *l. licet*, procedat, etiam si non fiat specialis hypotheca rei venditae, sed generalis omnium bonorum. Quem &

alium antiquum refert & sequitur Caeppolla *caut. 12. 4. n. 2.* licet de hoc vltimo dubitauerit Antonius de Fan. vbi supra nu. 18. adhibens in hoc communem caus. Caeppollae vbi supra, scilicet, quod instrumento adiciatur, venditorem in se retinere dominium rei venditae pro pretio, sequitur Bembenutus vbi supra nu. 6. hanc, me hoc in loco & alios allegans refert Ioan. Iannez Parlador, aduocatus Pincianus in *suo lib. rerum quotid. cap. 8. vbi in ea non sinit pedes, sed aliam ponit meliorem suo iudicio vide eum, illud tamen satis sit, casum nostrum sine dubio esse ex supradictis.*

Ad secundam & quaestionem respondeo, quod maritus non dicitur dominus dotis, & sic ouium, quousque sibi tradantur: Quod enim alijs regulare est, vt sine traditione nunquam dominia rerum transferantur, vt in *l. nunquam nuda, ff. de acquir. rerum domin. & in l. traditionibus, C. de pact. & in l. pen. C. de rei vendic. & in §. per traditionem, Institut. de rerum diuisione*, id quoque & in rei dotalis dominio locum habet, nulla ejus considerata specialitate. In cuius rei argumentum solet induci text. in *l. de diuisione, ff. solut. matr. & in l. dotale, §. dotale, ff. de fund. dotal. vbi probatur, quod praedium non dicitur dotale, & sic efficit maritus, nisi tradita possessione. Cum igitur in nostro casu ipsa tradita non sit, consequens est, vt dominium rerum dotalium non transferatur in maritum ante traditionem, & ita ex illo text. quod nihil sit speciale respectu huius rei, de qua agimus, in dote, imo ad requirendum dominium ejus requiri traditionem sicut in alijs casibus extra dotem, tenet Paulus de Castro in *d. l. de diuisione, nu. 3. & 4. & ibi Alexand. nu. 10.* item & Iaf. nu. 5, qui testatur, quod hanc opinionem tenent omnes Moderni indifferenter, quod est maximum verbum, quia idem est, ac si diceret, receptissimam esse sententiam, quod in praxi iuuat, sequitur etiam Bald. Nouel. de *dot. 6. prin. priuileg. 10. n. 1.* est communis secundum Ant. Gom. in *l. 53. Taur. n. 27.* vbi bene examinat, sequitur idem Ant. Gom. in *l. 51. Taur. cum sequentibus, numer. 10. colum. 3. illius numeri, versic. duodecimo conueniunt*, vbi addit, idem esse in dominio donationis propter nuptias: sequitur Bald. in *l. cum quidam, §. praeterea, num. 2. Cod. de iur. dot.* & est text. pro hac opinione de iure Reg. in *leg. 25. ibi: La segunda es, que sea meido en tenencia de la dote, tit. 11. part. 4.* & ibi Greg. Lop. allegat pro concordante *d. l. de diuisione*, & est communis opinio secundum Ant. Gom. *z. tom. var. cap. 2. num. 5. in fine.**

Imo, quod fortius est, etiam si in vniuersali societate, dominium sine traditione quaeratur, vt in *l. 1. & 2. & ibi notat Bart. ff. pro soc. adhuc tamen in nostro casu vniuersalis constitutio dotis, & dominium sine apprehensione, non transfert, in hanc sententiam solet vnica reputari gloss. in *l. ff. de vsucap. pro dot. verb. vniuersa, ad fin.* quam gloss. eam sequutus, non esse alibi testatur Bald. in *l. nulla, nu. 1. C. de iur. dot.* & sequitur idem Bald. in *l. vnic. n. 6. C. de vsucap. pro dot.* idem Bald. in *l. qui tibi, C. de his, qui à non domin. manumit.* vbi dicit, hanc quaestionem gloss. determinari per illam *l. valde singularem*, vbi ex contractu vniuersali non transit dominium sine traditione. eandem gl. opinionem sequitur Paul. de Cast. in *d. l. de diuisione, n. 3.* & ibi Alex. nu. 10. alios allegans, item & Saly. in *l. traditionibus, n. 13. de pact.* & innuit esse communem Iaf. in *d. l. de diuisione, nu. 5.* sequitur optime defendens Caeppoll. in *l. vnic. C. pro dot. num. 15. cum seqq. dicit communem Ant. Gom. vbi supra*, & Rogerius de Moia in *repetitione d. l. traditionibus, nu. 19.* sequitur Iaf. in *l. si socius, n. 1. ff. si cert. pet. dicit communem iterum Ant. Gom. in d. l. 1. Taur. n. 76.**

Sed Bartolum in hoc articulo secundae dubitationis contrarium superioribus inuenio, qui à nemine referretur: Is enim in praedicta *l. traditionibus, in 2. lectur.*

nu. 4. in *fi. inquit, quod dominium rei dotalis transferatur in maritum sine traditione, eo motus fundamēto quia titulus dotis est vniuersalis, vt probatur in l. ff. de impens. in reb. dotal. fact. sed in vniuersalibus transferatur dominium sine traditione, vt in l. 1. & 2. ff. pro soc. Sed Bar. opin. in hoc respēdam cēse, tum, vel quod articulos ille, an sit, dotis sit vniuersalis, vel particularis, ad huc sub incerto sit, cum maximam Doctorum controuersiam afferre possemus.*

Tum praeterea, quia, q. in vniuersalibus transferatur dominium sine traditione, nō est verū, cum ex regula tex. generali in *d. l. qui tibi*, constet contrarium, & *d. l. 1. & 2. ff. pro soc.* loquantur in casu speciali, vt omnes Dd. fatentur, vt late Caeppolla concludit in *d. l. 1. n. 19. in fi. C. pro dot. & Iaf. in d. l. si socius.*

Vnus tamē & is specialis casus est, in quo mulier sine possessione transfert dominū praedium assignati in dote, qui ponitur in *l. si fund. de fund. dot.* adnotante ibi gl. mag. qui ad propositū nostrum non facit, & ita tenet supra rediū sententiam semper saluo iudicio.

S V M M A R I A.

- 1 Testibus duobus, vel tribus probantibus affirmatiua, plus creditur, quam decem, centum, vel mille probantibus negatiua.
- 2 Negatiua non ita se offert sensui, sicut affirmatiua, cui credibilior causis in affirmatiua quam in negatiua reddi possit.
- 3 Verosimilitudo in probationibus attendenda est.
- 4 Plus creditur paucis testibus deponentibus de verosimili, quam centum verosimilia deponentibus.
- 5 Negatiua coarctata probata maiori numero testium, quam affirmatiua praefertur ei.
- 6 Negatiua probabilis est & admittenda quando testes deponentes de ea, deponunt simul de affirmatiua.
- 7 Testes negantes fauore rei absoluenti, praefertuntur affirmantibus.
- 8 Testes minus digni probant in fauorem rei.

Allegatio VI.

Respōdendo talij quaestioni à me quaesitae per eundem amicum dico: Quod duobus, vel tribus testibus probantibus affirmatiua plus creditur, quam decem probantibus negatiua. Gl. expressa & optima est in *l. diem proferre §. si plures, verb. consenserunt, ff. de recept. arb. gl. etiam, licet nō ita expiella in c. gl. si de refer. in 6. q. etiam opin. tenet Innoc. in c. super hoc, n. 2. de renum. vbi inquit, q. plus creditur duobus affirmantibus q. centum negantibus. Eandem et opin. tenet Panorm. in c. in nostra, in fin. verbis, & in c. cum in tua, nu. 2. de testib. sequitur Bal. in *l. data opera, nu. 44. C. de his qui accus. non poss. Maran. in rep. l. si potest, nu. 329. ff. de acq. hered. vbi subdit, quod id habet locum, etiam si testes negantes sint mille.**

Cuius quidem rationē & congruentem inuenio à Bald. assignatam, in *l. actor quod assenerat, nu. 5. C. de prob.* quia negatiua non ita se offert sensui, sicut affirmatiua, cum credibilior etiam in affirmatiua, quam in negatiua reddi possit.

Facit etiā, quia cū in probationibus verosimilitudo attendenda sit, vt tenet Bal. *col. 2. & Salyc. in l. script. C. de instrum. & Matib. de Ass. dec. Neapol. 363. nu. 6. & 7.* & datis duobus verosimilibus, illud, quod magis verosimile est, sit attendendum, secundum Bald. in *l. si in secunda oppositione, de heredit. inst.*

Plus creditur paucis testibus deponentibus de verosimili, quam centum non verosimilia deponentibus secundum Bald. in *l. testium, col. pen. C. de testib.* quem refert & sequitur Iaf. in *l. si extraneus, num. 10. ff. de condit. caus. dat. vel etiam paucis verosimiliora deponentibus: Ergo cum testes affirmates de verosimili imo de ipsa veritate deponant, testes autem negales minime, vel minus verosimiliter, consequens est, vt primi, licet auctiores, praefertantur negantibus, licet pluribus.*

Verū tamen est, quod Abb. in duob. locis supra citatis hoc intelligit, quādo negatiua nō est restricta & coarctata, quia si esset, maior numerus praefertur, argu. maiorem ff. de pact. dum tamen minor dignior nō sit, vt in c. in nostra, de test. vnde si testes aduerfarij inducti ad probādū, oves esse mortuas, id restringat respectu alicuius temporis vel loci, & sufficienter deponant, licet negantes earum vitam, praefertentur, in quo satis consistit veritas & iusticia huius causae.

Item limitantur supra dicta, praeterea si testes deponentes de negatiua, deponant simul de affirmatiua, vt quia dicunt, oves non esse viuas, quia viderunt eas mori, vel mortuas: hanc limitationem & praecedentem tenet Matr. de *afflict. dec. Neapol. 324. num. 9. & 10.* qui est videndus hoc declarans.

Item pro dicto amico facit, quia ipse in causa est reus, quādo quidē est appellatus, & appellas est actor, sed sic est, quod etiā ex sua parte esset testes negales adhuc praefertentur affirmantibus, fauore rei absoluenti, vt tenet eleganter Rom. in *l. prima, §. si. col. 3. & in l. in illa ff. de verb. obl. Felin. optime in c. ex lit. n. 5. de prob. & sequitur Maran. in *d. l. si potest, n. 329.* Ergo à fortiori obtinebit, cum in praesenti causa testes ex sua parte producti, deponant de affirmatiua, testes, vero ex parte actoris de negatiua.*

In cuius argumentum induco gl. solemnem in cap. clericis, §. distinet. quae tenet, quod etiā minor numerus testium dignior, tamē, praefertur maiori minus digno, vt in d. c. in nostra, cum sim. hoc tamē fallit, si minus dignus deponat pro reo, quae gl. & in negatiua loquitur: q. probant testes inducti pro reo. Nepe si duo clerici dicunt, me commississe fornicationem cum aliqua muliere tali die, at vero duo laici dicunt me fuisse secū tota illa die in alio loco, certe duo laici pro reo deponentes licet de negatiua, praefertentur clericis, & illa gl. dicit singularem Iaf. in *Rub. n. & ff. de iur. iur. de qua videndus est Carr. in *pract. crim. verb. homicidium, num. 4. fol. 183.* vbi per illam gl. tenet plus credi duob. testibus negantibus, q. mille affirmantibus maleficio, & late Tiraq. in *l. si unquam, in princ. n. 46. C. de reuoc. don. Maran. vbi n. 3. 8. & Did. Perez plures allegas in l. 1. tit. 3. li. 1. ord. col. 103. & est communis secundum Foller. in *sua pract. crim. 2. part. 2. partis, in rub. recipiantur defensiones reorum, nu. 30. fol. 276.***

Sed haec duo vltima dissimilia videtur à nostra causa, cum loquantur in criminalibus, fauore rei absoluenti: at vero nos loquimur in ciuilibus, & in reo, qui vere & originaliter est actor: praecipue quia in casu d. gl. in d. c. cler. testes rei deponunt de negatiua coarctata loco & tempore, quae est optima probatio, vt supra dict. est; Ideo oportet insistere in superioribus fundamentis & licet dicta fundamenta vltima non profint in proposito, tamen nō nocent & poterūt prodelle in alijs causis & negotijs, praecipue cū nonnullam similitudinem, licet non omnimodam habere videantur cum nostro casu, & ideo menti sunt tenenda omnia supradicta.

S V M M A R I A.

- 1 Duo in solidum non possunt esse domini eiusdem rei.
- 2 Clausula, de non alienando, operatur tantum effectum suum respectu eius iuris, propter quod subest.
- 3 Clausula, de nō alienando, operatur, vt facta alienatione idem ius habeat creditor in ea, quod haberet, si esset in bonis debitoris, & non fuisset alienata.
- 4 Res prohibita alienari, bene potest alienari in refectionem vtilem & necessariam ipsius rei.
- 5 Res immobiles minoris, quae prohibentur alienari, bene possunt alienari ex causa necessaria, vel vtili ipsi minori.
- 6 Res Ecclesiae, quae sunt prohibita alienari, possunt alienari ex causa vrgentis debiti.
- 7 Prohibitus alienare, potest alienare ex causa necessaria.
- 8 Prohibitus alinare potest alienare pro necessitate, quae inest

- 9 *Res prohibita alienari vel eius fauore.*
- 10 *Res prohibita alienari tacite vel expresse, etiam eo casu quo prohibita impedit dominij translationem, possunt alienari ex causa pia, prout est dotis & similia.*
- 11 *Res prohibita alienari, possunt alienari pro redemptione captiuorum.*
- 12 *Impensa necessaria facta per maritum in res dotales, minuunt dotem ipso iure.*
- 13 *Voluntas contrahentis prohibentis alienationem, & mens est id facere, et sibi magis caueatur.*
- 14 *Feudalis res, qua prohibetur alienari, potest alienari ad utilitatem domini.*
- 15 *Medicus, qui aliquem curauit potest repetere impensas ab ipso infirmo vel eius heredibus, licet a principio infirmis prohiberetur curari.*

Allegatio VII.

Casus presertim consultationis & processus est. Quidam Ioannes vendidit Petro certam partem domus suam quam communem cum alijs fratribus habebat, & pro pretio d. partis constituit d. emptor censum redimibilem super suis bonis & specialiter super d. parte domus sibi vendita cum specialiter eius hypotheca & cum pacto de non alienando, quousque census tam in redditibus, quam in proprietate esset solutus ad rationem unius pro quatuordecim, iuxta communem usum, & consuetudinem huius Regionis per extraneas Mart. V. & Cal. III. de em. & vend. approbatum. Hic emptor dominus effectus huius domus tam d. partis, quam reliquam titulo emtionis & venditionis quandam partem & minimam arca subdialis vulgo d. Del coral d. domus nimis inuicem, alteri domum vicinam habenti concessit, eo pacto & conditione ut ipse vicinus suo summo parietem communem in ead. domo & earum a eas subdiales clauderent satis vtiliter, & necessariam reficeret & reedificaret, quae erat tempore d. vicinam, cui d. Petr. emptor concessit praed. particulam minimam arca & conditione afferens d. actor, praed. vicinum, qui vocatur Martin. sua propria auctoritate occupasse eam partem, & ideo potuit sibi suae domus restitui cum duplo seu alio simplo domus d. Martin. qui quidem Martin. se defendit certis quibusdam rationibus in sui fauorem allegatis, tandem factus & conclusus est processus. Quo viso, pro parte d. Martin. ut ad nihilum teneatur, est sequens consiliu.

1. Primo constat, d. Io. minime esse partem legitimam ad id, quod petit; Quadoquidem confessus est in primo libello, & est acceptatus per d. Martin. se & fratres suos vendidisse d. domum cum suis pertinentiis d. Petro, unde constat d. Petr. esse dominum d. domus; Ergo d. Ioan. non remansit dominus, quia duo in solidum non possunt esse dñi eiusdem rei, ut in l. 3. §. ex contrario, ff. de acq. poss. l. si ut certo, §. si duobus vehiculum ff. commod. & cum non sit dominus, non potest petere contentum in suo libello; & quod d. Petr. sit dominus effectus d. domus per d. venditionem, constat ex processu.

2. Neq; t. obstat dicere, quod pro pretio d. partis domus remansit ipsa domus specialiter hypothecata, cu clausula de non alienando & c. quia d. clausula operatur tantu effectum suum respectu eius iuris, propter quod subest & fuit apposta, & non plus, quia limitata causa, limitatum parit effectum, l. age cum Geminiano, C. de trans. l. in agris ff. de acqu. rer. dom. cum igitur ad securitatem hypothecae sit apposta, respectu eius tantum iuris operari debet, ut praestanda hypotheca super illa domo, non vero aliquid aliud, prout est petere, ut demoliatur paries, quadoquidem effectus domini est hoc

petere, quo se spoliavit & nudauit venditione, iuncta traditione subsequuta.

Item dicta clausula, de non alienando, tantum operatur, ut facta alienatione id jus habeat creditor in ea, quod haberet, si esset in bonis debitoris, ac per consequens si non fuisset alienata; ut bene declarans tenet Rod. Suar. in l. post rem iudicatam, in l. limit. l. Reg. nu. 12. & l. ff. de re iud. sed si debitor ipse, hoc est, emptor, iam effectus dominus domus, pariete vel aliquid aliud in re hypothecata edificasset, creditor nihil pretere petere ob d. aedificium, quia dominus edificauit. Ergo non potest aliquid iuris nunc pretendere aduersus d. Mart.

Item dato, quod d. Ioann. fuisset pars in hac causa, non habet probatam suam intentionem, & licet haberet nihil facit ad rem, quandoquidem id factum fuit virtute pacti initi cu vero & legitimo domino d. domo, qui non obstat d. clausula de non alienando, potuit id pacisci, ut reficeretur & reedificaretur d. paries ut nunc est, quia ita fieri fuit necessarium, & nimis vtile d. domib. & earum custodie, prout in processu existit probatum per testes contestes, sicut etiam est probatum praualere, hoc est, magis valere dimidium eius, quod expensum fuit in reedificando d. parietem communi, quod incubebat domino d. domo, quia erat paries comunis, quam valor illius partis solarij, quod fuit concessum d. Martin. per Petr. dicto pacto: Cum igitur haec omnia concurrant, potuit iure optimo d. Petr. emptor & dominus id pacisci, quamvis ex eo alienasse dictam partem visus sit.

Primo, quia tres prohibita alienari, bene potest alienari in refectionem vtilem & necessariam ipsius rei, ut probat tex. in l. lex, qua tutores, in vers. sed & si parens, C. de adm. iur. sed in praesenti casu paries erat diruptus, & propterea reficiendus, quod erat perquam vtile & necessarium est alienatum, ut probant testes omnes.

Item, quia res in mobilis minoris, quae prohibetur alienari, bene possunt alienari ex causa necessaria vel vtili ipsi minori, ut in l. 1. C. de praed. & alijs rebus min. & in l. 60. tit. 18. p. 3. vbi inquit lex, Por que las cosas de los huertanos que son raras no se pueden ligeramente enagenar, fueras ende por donada, o por gran pro pe los huertanos, & c. Item etiam probat l. 8. vers. Otro si de mos. ibi, En por del moco, tit. 13. p. 5. & l. 18. tit. 16. p. 6. Ergo ita in proposito dicendum est: & idem generaliter in quacunque re prohibita alienari, possit ex causa necessaria vtili, late probat plures referens Tiraq. de retract. linagier, §. 1. gl. 14. nu. 11. fol. 96. & Arias Pinel. in l. 1. in tertia part. nu. 24. C. de bon. mater.

Item etiam t. similiter comprobatur, quia res Ecclesie, quae sunt prohibita alienari, possunt alienari ex causa debiti vrgentis, ut creditori soluantur, imo etiam creditor potest dari res in solutu, si modo creditor ille sunt in vtilitate Ecclesie processisse: ut probat tex. in auth. hoc ius porrectum, in si. C. de sacros. Eccles. & in c. hoc ius, 12. p. 2. & in l. 1. tit. 14. p. 1. vbi etiam dicitur, quod pro edificanda Ecclesia & pro eius vtilitate possunt alienari: Ergo a fortiori in nostro casu idem erit dicendum, siquidem & domini consensus & necessitas interuenit, praecipue, cum alienationis prohibitio rerum Ecclesiae plena sit fauore, & adhuc in supradictis casibus possunt res ipsius alienari.

Item t. superiora aperte probantur, quia generaliter statutum est in quocunque prohibito alienare, ut possit ex causa necessitatis alienare, tex. est & ibi notat Bar. in l. peto, §. praedium, ff. de leg. 2. & ibi etiam Paul. de Castr. tex. in l. 1. ff. de sum. dot. & in l. parer filium, in princ. ff. de leg. 3. & ibi Bar. l. alienationes ff. fam. er. sc. & tenet alios allegans Aul. in c. 2. prator. in gl. De mercaduria, nu. 9.

Et vbiq; t. omnes concludunt & ita resoluunt, quod si necessitas quae imminet est ex parte prohibentis alienari,

nari, vel eius fauore, alienatio perpetuo valet: de quo est tex. in l. filiusfam. §. diu. ff. de leg. prim. & ibi tenet Paul. n. 11. & ceteri post eum: Ergo ita in proposito, cu d. alienatio fuerit necessaria propter d. parietem reedificandum, ut probant omnes testes ex parte rei producti, & sit fauore ipsius rei prohibita alienari, & pro ipsius conseruatione & custodia, & per consequens in fauorem ipsius prohibentis alienare, ut melius super debito suo sibi prouideatur; Ergo valida est alienatio & concessio supradicta.

9. Facit praeterea & optime, quia resectio domus, vel alterius edificij adeo est fauorabilis, ut consumtu in ea laedat & praedictet ei, qui ex alia ca prius ius habet ad illa rem resectam & reedificatam, ut in l. interdam, ff. qui pot. in pig. hab. l. 22. ad fi. & in l. 28. tit. 13. p. 5. Reddit rationem in d. l. 28. Porque cum con los dineros que el dio, id est, gasso, fue guardada la cosa que pudiera per der: Prout in praesenti casu poterat contingere, quia si dictus paries non reedificatus fuisset, d. domibus maximum damnu & praedictum veniret, ut testes dicunt & deponunt, quod fuit obuiatum ex reedificatione.

10. Item t. & optime comprobatur iustitia rei, quia res prohibita alienari, etiam eo casu, quo phibitio impedit dominij translatione, prout contingit in vltimis voluntatibus, facta prohibitione, & in contractibus, etiam quando in eis est hypotheca specialis rei cu clausula, de non alienando, possunt res alienari ex aliqua pia causa, prout est dotis donationis propter nuptias, & simil. ut in auth. res que, C. comm. d. leg. & ibi Dd. & late Ant. Gora. in l. 40. Taur. n. 87. & segg. & id procedit etiam in expressa prohibitione, ut tenet Bart. in d. §. diu. in 2. q. nu. 10. & dicit magis communem Ant. Gom. vbi §. n. 87. col. pen. alius n. vbi plures Dd. alleg. & ultra eam hanc dicit communem Iaf. in d. auth. res que, n. 24. & Conar. lib. 3. variat. resol. c. 6. nu. 10. vers. Secundo, hoc in tractatu, & Roland. a Val. allegans alios, qui id affirmant in cons. 85. n. 7. l. 1. Roder. Suar. in l. quoniam in prioribus, in z. l. i. ad l. Reg. C. de inoffic. testam. & late Ant. de Padil. in d. auth. res que, nu. 52. & 53. & latissime Greg. Lop. in l. 6. tit. 11. part. 6. gloss. magn. col. 3. ad medium.

11. Sed resectio domus est causa pia, ut probat tex. in l. si quis pro redemptione captiuorum, ver. eandem libertatem, C. de don. dum aequiparat redemptionem captiuorum, quam piissimam appellat, & refectionem domus, per quem tex. ita tenet Cepol. qui bene loquitur, de seru. vrb. an. praed. c. 49. n. 27. Ergo pro refectione dict. parietis communis inter d. domus bene potuit d. Patr. concedere & alienare dictam particulam minimam arca dict. domus, etiam si fuisset prohibita alienatio ipsius. Comprobatur etiam iustitia rei, quia, ut suprad. est, resectio domus & redemptio captiuorum aequiparantur ut supradictum est, ut in d. l. si quis pro redemptione.

12. Sed pro redemptione captiuorum res Ecclesie, quae sunt prohibita alienari, possunt alienari, ut in l. sancimus, ad fi. C. de donat. & in l. primo, tit. 14. p. 1. Ergo ita & eodem modo res prohibita alienari, poterit alienari pro refectione ipsius rei & conseruatione ipsius, quod est satis fauorabile.

13. Item res dotales t. sunt prohibita alienari, ut de iure communi constat per infinita iura, & de iure Regio est l. 7. tit. 11. part. 4. & tamen impensa necessariae facte per maritu in ipsas res dotales minuunt quidem dotem ipso iure, l. quod dicitur, la prima, ff. de impens. in reb. dotalibus factis, l. vltim. tit. 11. per tit. 4. vbi necessaria impensa dicitur resectio: Ergo eodem modo in proposito dicendum est.

14. Item probatur ratione quidem vrgenti, quia voluntas testatoris vel contrahentis prohibetis alienatione, & mens est, ut res prohibita alienari conseruetur, ut contrahenti magis caueatur; Sed per refectionem res,

quae erat destructa, conseruatur & in melius reformatur, ut notum est, & testes ex parte rei deponunt; Ergo valet dicta alienatio & concessio, imo procedit ex tacita voluntate prohibentis.

Item res feudalis, quae prohibetur alienari, potest alienari ad vtilitatem domini, ut tenet plures allegans & diuersimode explicans Petrus Duenn. in reg. 40. l. i. m. 8. Ergo a fortiori, hoc casu licitatur erit alienatio, cum nullam dominium habeat dict. Ioan. venditor, sed ius tantum hypothecae cum praed. pacto, & hoc quousque sibi soluat pretium venditionis cum suis redditibus census: nam sibi soluto domus remanet libera a praedictis pacto & hypotheca, & sic prohibito non est omnimoda nec perpetua, sed ad tempus, item pro securitate tantum & solutione debiti; Vnde cum sibi suum ius remaneat saluum & securum, & melius quam antea, consequens est, ut praedictus reus debeat absolui & liberum iudicare a petitis.

Vltimo in re hac bonum argumentum nobis praestat gl. illa singularis in sum 83. dist. in verb. inferas, quae dicit, quod si medicus, prohibere infirmo, cui curaverit potest postea ab eo vel eius heredibus, repetere impensas non obstante prohibitione, quia vtiliter eius negotiu gessit, cuius gl. opinionem sequitur alios allegans Tiraq. de vtroq. retract. tit. de retract. conuent. §. 7. n. 10. fol. 333. & Ioann. Ores. in l. licititas, §. sicuti, n. 8. ff. de offic. praesid. vbi allegat Roman. sing. 123. & Syluest. in sum. verb. Medicus, nu. 5. Sic igitur in casu praesenti licet sit prohibita alienatio, quia vtiliter negotium est gestum, imo necessario, atq; perinde non indiget rari habitatione, poterunt recuperari impensa, eo casu, quo non teneret alienatio, quia praed. gl. loquitur & procedit, etiam si infirmus ex illa infirmitate decesserit, & sic sufficit, quod sit vtiliter gestu. Et ita concludo in fauorem dicti Martini, saluo meliori iudicio.

SUMMARI A.

- 1 Casus octaua allegationis. Duo beneficia curata, vnum in actu, & alterum in habitu, tantum possunt simul ab eodem sacerdote obtineri, & nam segg.
- 2 Ratio quare sit prohibitum obtinere simul duo, vel plura beneficia curata.
- 3 Parochialis Ecclesia in iure qua dicatur.
- 4 Parochialis Ecclesia dicitur beneficium seculari, & cum administratione.
- 5 Afferenti esse beneficium curatu, incumbit onus probandi.
- 6 Parochialis Ecclesia unde dicatur, & quid significet.
- 7 Parochialis ius in quibus consistat.
- 8 De Ecclesia habente barrios & territorium limitatum parochianorum.
- 9 Mentio beneficii, quod sit curatum, debet fieri Summo Pontifici ad eius impetrationem, licet in habitu tantum sit curatum.
- 10 Praesens status beneficii, & non praeteritus inspiciendus est quoad incompatibilitatem & residentiam.

Allegatio VIII.

Casus praesentis consultationis est huiusmodi. Quidam clericus habet in hoc Episcopo. Placen. duo beneficia curata, vnum in actu & habitu, in quo ipse residet & seruit, alterum in habitu tantu, quia licet olim antiquitus habuit parochos nunc nec pluribus annis anterioribus eos non habet, nec habuit, quia omnes mortui sunt, est dubium; An de iure possit clericus hic habere in simul hac duo beneficia curata absque dispensatione Summi Pontificis.

In hoc t. dubio, attenda supra relatione, vera opinio est, quod huiusmodi sacerdos possit habere haec duo beneficia simul absque praed. dispensatione.

Primo, t. quia tex. in c. quia nonnulli de cleric. non resident. & in c. de multa, de praebend. & extraneas exsecrabiles, eod. tit. & cetera iura, quae prohibent pluralitatem beneficiorum Ecclesiarum parochialium, fundantur;